

tificis , & Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem venerari se profi-  
tentur ; interim vero ad causæ præsidium ea proferunt argu-  
menta , quibus Pontificis , & Ecclesiæ minuitur omnis au-  
ctoritas . Id quod in sequentibus palam fiet .

Nunc ut ad illud , quod est ante propositum , redeamus ,  
fateantur necesse est , quicumque tenent Romanam fidem ,  
doctrinæ morum , atque pietatis , quam & Pontifex tradit ,  
& Ecclesia sequitur universa , subesse non posse falsitatem .  
Exempli gratia , non potest errare Pontifex , cum ita decer-  
nit , non licere comedere , ac bibere ad satiætatem unius cau-  
sa voluptatis . Id enim pertinet ad grægem Christi erudiendu-  
m , quid quomodo eum facere oportet salutis causa . Nec  
potest errare , ubi cultum præscribit religiosum , & sanctum .  
Hoc enim pertinet ad religionem populi Christiani tum con-  
firmandam , tum exercendam . Hac Deum colimus , ejusque  
in homines quosdam benignitatem suspicimus , quos in amo-  
re , atque in deliciis olim , cum viverent , habuit , nunc so-  
cios habet , atque participes regni cœlestis : ipsum denique  
oramus , ut eorum meritis , precibusque placatus veniam  
nobis , & pacem largiatur . Hujusmodi autem precandi for-  
mulam tradit Ecclesiæ Romanus Pontifex . Si in his mandan-  
dis , & statuendis eum falli contigeret , nihil esset errore  
illo detestabilius . Quæ tu commémoras merita , quæ num-  
quam habuit is , quem collaudas , & prædicas ? aut quam  
societatem , & communionem bonorum , quæ nulla sunt ?  
Tunc autem Pontifex falleretur , cum nulla essent . Itaque  
Deum non venerari , sed nugas agere dicemur ; adeoque  
Pontificem errare in his præscribindis perinde esset , ac fabu-  
lam dare , cuius esset non spectator modo , sed etiam actor  
populus omnis Christianus .

Qui hæc devorare tam impia , tam absurdâ possit , næ  
ille stultius , & flagitosius desipiat , quam Lutherani , vel  
Calvinistæ . Illi enim cultum omnem religiosum abjudicant  
ab Ecclesia Dei , qui diserte non sit expressus Divinis litteris .  
Isti autem Thœologi potestatem Ecclesiæ tribuunt novum